

11. His suffragatur Georgius Cassander : De tertio Articulo inter partes, de quarum conciliatione agitur, probè convenit.

12. Et quanquam recentiores Critici, Andreas cum primis Fabritius Leodius, & Iohannes Hoffmeisterus Augustinianus, suis in Animadversionibus, Theonino prorsus dente, & verba & sensum Articuli hujus arrodunt, imò defectiois, nescio cuius, Lutheranos insimulare haud verentur: prudenti tamen cuivis, ipsa modò accusationis capita sine præjudicio altiùs expendenti, non potest non esse manifestissimum, litem istam partim non hujus, sed insequentis Articuli Quarti, de Iustificatione, esse propriam: partim verò non nobis, sed ijs, qui ad Cinglio-Calvinistas defecerunt, intendi.

13. Nostras enim Ecclesias ne latum quidem unguem, à genuina prototypi sententia, post exhibitam Confessionem ad hunc usque diem descivisse, testium loco esse queunt omnes Conventus Imperij, omnia Colloquia, disputationes omnes, quæ inter Protestantes & Pontificios fuerunt post instituta: in quibus utrinque semper fuit definitum, de Articulo hoc tertio nullam inter dissidentes partes esse controversiam.

14. Testis præterea esse potest Synodus Smalcaldensis, Anno Christi 1537. coacta, ubi præcipui Ecclesiarum Evangelicarum ministri, à principibus & Rebuspublicis Augustanam  
Con-